



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCLXV. De Fratre Ludowico de scipe Mag. terrae Prussiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Gottfridus de Hobenloh XI. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Ludovicus de Schippen XI. Mag. Prov. Prussiae.

(b) Strasburgum, Polonicè Brodnica dictum, conditum esse dicitur.  
Anno 1285. Henneb. in Comment. p. 438.

CAP. CCLXIV.

De

Suburbiorum combustione Castrorum

Junigeda & Pista.

EO tempore, quo Exercitus fratrum de Pruschia adhuc esset in partibus Livoniae, frater Cuno Commendator de Brandenburg cum magno Exercitu aggressus Castra Junigedam & Pistam, eorum suburbia igne funditus destruxit, & cum recederet, supervenit quidam frater de Raganita navigio cum quibusdam armigeris, qui exiens ad pugnam contra Castrenses coegit totum Exercitum fratrum redire ad praelium initum, quo certamine unus Lethovinus virilis homo occisus est, & plures utriusque partis graviter vulnerati.

An. Dn. MCCXCIX. Bonifacius Papa VIII. & Albertus Rex Romanorum regnant.

Anno Domini MCCC. Tartari exeuntes à seditibus suis invaserunt Saracenos, & primo in Cappadocia, deinde in partibus Seleucia sive Antiochia. Inde in Armenia majori & minori abinde in totam terram promissionis & in Damasco & in Gaza usque ad confinia Aegypti, in quibus omnibus Regionibus plusquam CC. Millia Saracenorum occiderunt. Eodem anno fuit annus Jubileus & Dominus Bonifacius Papa dedit omnibus visitantibus limina Beatorum Petri & Pauli Apostolorum plenissimam indulgentiam peccatorum.

CAP. CCLXV.

De

Fratre Ludowico de scipe Mag.

terrae Prussiae.

Frater

*Gottfridus de Hobenloh XI. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Ludovicus de Schippen XIV. Mag. Prov. in Prussia.*

**F**rater Ludovicus de (a) scipe Magister terræ Pruschia X. præfuit uno anno, & mortuus est sepultusq; Colmense in Ecclesia Cathedrali.

ANIMADVERSIO.

(a) Schippen legunt recentiores.

CAP. CCLXVI.

De

*Vastatione terræ Nattangia & morte  
CCL. Christianorum.*

**H**ujus Magistri tempore sexcenti viri de Lethovia profecti sunt versus Nattangiam, de quo Exercitu frater Cuno Commendator de Brandenburg præmunitus, congregatis subditis suis, dum eos per dies aliquot expectasset, fatigatus tædio dimisit populum suum. Sequenti die dictus Exercitus infidelium intravit Nattangiam, & magnam partem ejus devastans per incendium & rapinam, occidit & cepit CCL. Homines Christianos.

CAP. CCLXVII.

De

*Fratre Helvico Magistro terræ  
Prussia.*

**F**rater Helvicus de Goldbach Thuringus Magister terræ Pruschia (a) XV. præfuit uno anno & resignato officio reversus fuit Almanniam, ibique mortuus & sepultus.

ANIMADVERSIO.

(a) Jeroschinus & Chron. Germ. antiq. in Biblioth. Regiom. quod ex Dusburgio ferè totum expressum est, addunt electum esse Helvicum de Goldbach. An. 1300.

CAP.